

tione, quam adversarius admisit. Quod posteriori in negotio perinde nobis esse potest, sive thesis altera, quam adversarius admittit sive largitur, in se sit vera, sive in se sit falsa, modò adversarius ipsam pro vera habeat. Si assumitur thesis ex semetipsa vera, Syllogismus *Si a dūrātū est απλῶς talis*; si assumatur thesis ejusmodi, quam adversarius largitur & concedit, ut illa forte ex se non sit vera, sed tantum talis ab adversario habita, fit Syllogismus *καὶ ἀνθρωπος sive πρὸ τὸ δέ*, qui alias est demonstratio *elenchitisa & violenta*. Prioris generis Syllogismi & in Analytica, & in Dialectica occurunt, posterioris verò generis Syllogismi non nisi beneficiò Dialectices expediuntur.

XXV. Hoc ipsum verò ut tanto magis constare possit, assumemus hanc thesin: *O. cometa est lunā superior*. Quam ipsam si quis admittere detractet, is eò adigendus est, ut suam faciat ejus contradictriam: *Q. cometa non est lunā superior*. Particulari huic thesi jungimus aliam in Astronomia exploratæ veritatis & certitudinis, nempe hanc: *Quodcunq; corpus in cœlo lunā est superius, minorem gignit paralaxin, quām luna*. Et: *Quod corpus in cœlo non est lunā superius, sed potius inferius, non gignit minorem paralaxin, quām luna, sed potius majorem*. Quæ universalis propositio negans manifestæ veritatis si assumuntur, eiq; jungatur particularis negans ab adversario approbata, inde inferetur falsa conclusio: *h. m.*

Quodcunq; corpus in cœlo non est lunā superius, (sed potius eādem inferius,) id etiam non gignit minorem paralaxin, quām luna, sed majorem. (dem inferior.)

*Q. cometa non est lunā superior in cœlo, (sed potius eādem)*

*E. Q. cometa non gignit minorem paralaxin, quām luna, sed majorem.*

Quæ conclusio cùm sit apertè falsa, teste experientiâ, imò observationibus mathematicis contraria, falsam oportebit esse minimum alterutram hujus Syllogisini præmissarum. Qualis cùm non sit Major, utpote manifestæ veritatis, Minorem oportet.